

## No. 402. 1235. 21. Juli.

*P. Gregor IX. nimmt das Kloster zum h. Kreuz und dessen Besitzungen in seinen Schutz.*

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis in Cristo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii sanctae Crucis Cisterciensis ordinis Misnensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilectae in domino filiae vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipatae cum omnibus bonis, quae impraesentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis praestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras possessiones redditus ac<sup>1)</sup> alia bona vestra, sicut ea omnia iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum Perusii XII. Kal. Augusti pontificatus nostri anno nono.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

1) terras domos possessiones vineas ac No. 405.

## No. 403. 1248. 23. Juni.

*P. Innocenz IV. beauftragt den Probst, Prior und Schatzmeister des Thomasklosters zu Leipzig die Streitsache zwischen dem Nonnenkloster zum h. Kreuz und dem Abte zu Altzelle zu untersuchen und zu entscheiden.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis .. praeposito ... priori et .. thesaurario de Lipzcha Mesburgensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectae in Cristo filiae .. abbatissa et conventus monasterii sanctae Crucis ordinis sancti Benedicti petitione monstrarunt, quod .. abbas monasterii Celsensis Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis falso asserens, quod eadem abbatissa et conventus tenebantur statuta Cisterciensis ordinis observare, quamquam cum eis in nullo concordent vestimentorum colore dumtaxat excepto, nec praedicto Cisterciensi ordini incorporatae fuerint nec professionem fecerint in eodem, in ipsas statuta praemissa suscipere denegantes, auctoritate abbatis Cistercii ut dicebat de facto cum de iure non posset excommunicationis sententiam promulgavit. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem cessante